

UM
RUM
E
EINZIA
UM



**DIVITIARUM
EVANGELICARVM**

Disquisitio Sexta

PRÆSIDE

CHRISTIANO GUEINZIO

Gymnasii Salani
Rectore


Respondente

MATTHÆO BERNSTEINIO

Saxonum Hallense

*Dominica post Natiuitatem
CHRISTI.*

A. O. R. cl. Is. CIVL.



HALLIS SAXONUM

*Prelo Hæredum Melchioris Oel-
schlegelij.*

DIVINARUM
EVANGELICARUM

Dispositio Sexta

PRESIDE

CHRISTIANO GUENZIO

Gymnasii Sabani

Rectore

Responsarius

MATTHAEO BERNSTEINIO

Secundum Halesium

Dominica post Nativitatem

CHRISTI


M. D. C. L. C. I. C. I. C. I.

ANNO DOMINI MDCCLXIII

HALLIS SAXONIAE

Richardus Meißner

typog.



ANALYSIS
 EVANGELII
 DOMINICA POST NATIVI-
 TATEM

Luc. 2. v. 33. usq. ad 40.

Prefatio.

Nid quod apud Evangelisti-
 sam V. T. Esaiam intelligo, legi-
 tur c. 8, 13: erit vobis in sanctifi-
 cationem, in lapidē autem of-
 fensionis duabus domibus Israel, in laque-
 um & ruinam habitantibus Ierusalem, & of-
 fendent ex eis plurimi, & cadent & conte-
 rentur & irretientur & capientur, id allegat
 Petrus in epistola c. 2, 8. & ad Christum appli-
 cat: Verumq. esse Simeon & Hanna in hodie-
 na pericope Evangelica probant, dum clare de
 eodem eadem uterq. ostentat.

THE-

THESIS I.

Habetur autem in hoc Evangelio, hujus partim occasio, qua denotatur per effectum, & est parentum Domini admiratio v. 33. In quo subjectum tum pater nempe Joseph qui sponsus Mariae & propterea pater Christi dicitur vel ratione vulgata appellationis ex opinione vulgi Luc. 3, 23. vel ratione educationis, quia Deo Christum in familia Josephi educari placuit atq; ita pater eius fuit cura non natura, dum tanquam verus Meehisedeeh in terris אבא-יוסף sicut in caelis אבא-יוסף Heb. 7. 3. Ps. 110. 4. Ac ita eum honoravit Spiritus Sanctus patris vocabulo qui nutrierat Salvatorem; quin altius qui inquirere potest dicere quia generationis origo à David usq; ad Ioseph deducitur, inquit Orig. hom. 17. in Lucam. & ad famam Mariae conservandam pater est ab omnibus existimatus, uti habet Hieronimus adversus Helvidium Sicq; appellatur pater pro dignitate ministerii & occultatione sacri secreti, habet Kempis med. 8. de Nat. n. 8. Non igitur verus fuit pater uti Harpocratiani arbitrantur. Unde & Syrus & Graecorum exemplaria non pauca non legunt pater, sed Joseph. Voluit autem Iesus Josephum dici patrem suum ad exemplum, ut nullus quantuscunq; filium se dicere erubesceret Et mater, quae vera erat, quia vere in utero suo

ipsum cōceperat, per menses quem novē in utero portaverat, Et andē Bethlehemi in hanc lucem ediderat Luc. 2, 1. seqq.

2. Prædicatum in genere, mirantes erant, pro mirabantur, secundum phrasin Syriacam: quod mirum tamen quemadmodum multis ē patribus, uti Origenes, Ambrosius, Fulgentius mirati. Siquidem non ignari erant quid factum fuerit, ut non sit ex ignorantia, qualis fuit Isaci Gen. 27. 20. Noverant enim mentes ambæ & sanctitate nobiles puerum istum filiū Dei & mundi Salvatorem esse ex S. S. revelatione, Angelica informatione, pastorū relatione, Magorum adoratione, Simonis cantione, neq; ex diffidentia, uti Sara admirata Gen. 18. Neque ex negligentia, uti Bethlehemita Luc. 2. 18 sed ex objecti excellentia, dum ad mysteriarii majestatem obstupescant, & confidentia.

3. In specie, super dictis de illo: dum attentè considerant quæ Simeon de pueroreferēbat quæ Gabriel, Elisabetha, pastores, Magi. Diētā enim erant ab omnib; illis De illo, uti habet Orig. hom. 17. in Lucam & discam; eiq; mirari Christum, eñq; venerari, nec omnia, cū multa transgrediantur fines rationis, humane, natura usum, experientie terminos, uti habet Bernh. serm. 28. super canticum scrutari, quia & hoc genus sacrilega tanquam temeritatis

Et inquit Salvianus l. 3. de providentia si plus scire cupias, quam sinaris. Cū Cypriano serm. de nativ. potius dicendum ejus Deum in utero virginis miror, miror omnipotentiam in cunabulis, quomodo verbo Dei caro adhaeserit quomodo incorporeus Deus corporis nostri tegumen- tum induerit.

4. Et facti descriptio respectu hominum & vel viri, & est Christi varia acceptatio v. 84. In quo summam per effectum quo ad praedicatum benedixit illis: nempe puero Jesu, Maria & Iosepho, non conferendo benedictionem, sed Christum Dominum vitae & mortis predicando, regno ejus felicem cursum ac successum precando. Maria vero & Iosepho de nato Christo gratulando, eisq; felicia comprecando. Est enim & Eucharistica benedictio & votiva; nam etiam benedicere sumitur pro benedictionis collatione Num. 6. 24. pro benedictionis comprecatione Rom. 12. 14. ut discamus aq; benedicere uti DEO, ita etiam nobis. Exsultat benedicendo Simeon & nos conticescemus?

5. Quoad subjectum Simeon ille, si vocem spectes obediens, qui erat iustus & pius Luc. 2. 25, fuit enim ex collegio sacerdotum discipulus Hillelis numero 72. seniorum non vero summus pontifex uti qui annis 20. ante Christum natum vixit. 6. Si-

113
6. Sigillatim quoad materiam dixit
ad Mariam matrem ejus, quia adim-
plendum erat quod dixerat ipsa in suo cantico:
Ecce ex hoc beatam me dicent omnes generatio-
nes, Luc. 1. 84 Potissimum itaq; matrem respicit,
quia potissimum matrem tangit.

7. Quoad famam, ubi præmittitur atten-
tio per particulam Ecce: ut rei admirande
rem admirandam indicaret ita excitavit.

8. Exponitur tum ex contrariis effectis.
Quoad incredulos, positus hic ad ru-
inam: non intelligitur externus interitus, sed
spiritualis pro lapsu in peccatum; ac eternam
damnationem: non quidem absoluto Dei decre-
to, ut homines ad eundem impingant, non enim
misit Deus filium suum in mundum ut conde-
mnet Joh. 3. 17. Sed eventualiter & per accidens
unde dicitur Lapis offensionis & scandali petra
Matth. 24. 41. Rom. 9. 33. Id quod patet ex
Esaia. 8. 24. & 28. 16. unde ista verba sunt pe-
rita. Et quamvis sit prædictum, tamē prophetia
non est causa eventus rei, sed ipsa res est causa
prophetie: non enim quod hæc prædixit, ideo
facta sunt, inquit Chrysostomus Hom. 27.
super I. Cor. II. Sed cum proculdubio erant
futura ideoq; prædixit, uti & explicat Cyrillus
I. 6. in Ioh. c. 21. & voce νεῖται positus, alluditur
ad

ad metaphoram lapidis angularis, quæ explicatur Matth. 22, 42. Per se est petra salutis Es. 28, 16, per accidens est petra scandali.

9. Quoad credulos, in resurrectionem multorum in Israel: A carnali nempe securitate, & peccatorum somno: Eph. 5, 14. à desperatione, quæ est resurrectio secunda, Apoc. 20. in resurrectionem vitæ Ioh. 5, 28. & in Israel per metonymiam efficientis & synecdochen speciei illi intelliguntur, qui secundum fidem sunt Rom. 4, 11. omnes: Id est: quia apud ipsum non est distinctio Iudæi & Græci Rom. 10, 21. qui est salutare omnium populorum Luc. 2, 32. Hinc Chrysologus serm. 89. Christus est fidelibus in salutem, infidelibus in ruinam: Apostoli etiam aliis habentur in mortem aliis habentur in vitam, inquit Orig. hom. 16. in Lucam. Habemus aliquid in nobis, quod male stat dum peccati superbia se erigit, hoc cadat, hoc subruatur; quod si ceciderit, quod ante ruerat surgens stabit. Oportet itaq; primum cadere & postea resurgere, ne Salvator causa fuerit male ruina.

10. Et ex relatis: in signum cui contradicitur: sive fiat verbis, sive factis, sive operib9: omnib9 enim verè, quod narrat historia de Salvatore, contradicitur: non quod contradicant

hi,

115

hi qui credunt in Deum, sed quia apud incredulos universa, qua de eo scripta sunt signū, cui contradicitur, habet Orig. hom. in Luc. ut discamus sortem piorum, qui tanquam signum aliquod erectum cum Christo sunt expositi Ioh. 16-3. Unde & Tertullianus doctrinam Christianam nominat signū contradicibile. Et respexit procul dubio vel signū serpentis aenei Num. 21.8. ubi Ebraea signū denotat vox: vel vaticinium Es. 11, ubi Deus promittit se vexillum erecturum in signum populorum.

11. Particulariter, adhibita apostrophe, Mariae dolorosa vulneratio v. 35. In quo causa quoad materiam: & tuam animam i. e. per Metonymiam subjecti cor. vocatq; ipsi9 animam, non quasi Christum intelligat, sed Mariam: non ac si plus passa fuisset, quam Christus, dum ille solus torcular calcavit. Es. 63. 3. & nostras deleuit iniquitates: Es. 43, Sed de materno eius affectu, cum non carnem, sed animam dixerit, in qua pietatis affectio continetur, & doloris aculeus, uti habet Paulinus & Aug. ep. 58. tom. 2. operis imperfecti.

12. Et quoad formam per similitudinem sumtam à gladio: pertransibit gladius. Quo acerbissimi dolores, qui cor Mariae quasi transfixerunt, exprimuntur. Non autem gladius

intelligitur dubitationis, uti voluit: August. super N. T. quæst. 73. neq; mors violenta, uti Epiphanius putat hæresi 78. sed doloris, quem Maria sensit uti in filii amissione, sic & in eiusdem passione. Ita & nunc Christiani passionis gladium effugere non possunt, uti David etiam conqueritur, Ps. 55. 12.

13. Effectus ut retegantur ex multis cordibus cogitationes, tū hypocritarum, tum infirmorum. Cogitationes enim erant male in hominibus, quæ propterea revelata sunt, ut prolata in medium, perderentur, inquit Orig. Et audita Nativitate Herodes & alii turbantur. Quidam tamen ad Christi magisterium accedunt, habet Glossa. Ut discamus persecutiones multorum corda revelare, & cum exurimur persecutionis ardore, tunc probamur de fidei tenore, habet Tertull. de fuga in persecutione.

14. Tum mulieris Hannæ, cuius partim prosopographia seu denotatio, & est partim eiusdem appellatio seu denominatio v. 36. In quo ab accidente est nominatio, & erat Hanna. Quam pulcher ordo, non venit ante virum mulier, sed primum venit Simeon, qui apprehendit infantem, & tenuit in brachiis suis, deinde mulier, habet Orig. hom. 17. in Lucam. Tale autem nomen habuerunt sanctissima

si ma

sima, in V. & N. T. fœmina, quarum iuxta
 glossam quinque fuerunt, Mater Samuelis 1.
 Sam. 1. Raguelis Tob. 7, 2. Mater Tobie.
 Tob. 8. Mater Maria, & hæc presens. Denotat
 autem gratia participem quia æquæ sunt cohe-
 redes vitæ æternæ uti viri 1 Pet. 3, 7. dum ipsæ in
 circūcisionis sacramento exultarunt Judith. 9
 De agno paschali comederunt Exod. 12, 47. ut
 discant mulieres etiam esse gratiosas, si velint
 esse ejusdem sorores.

15. Tum delineatio, sive descriptio desumpta
 ab accidente ex relatione, quod prophetria,
 qualis & fuit Mirjam, Ex. 15, 20. Hulda 2.
 Reg. 22, 4. Debora, Judic 4, 4. Cum enim post
 Malachiam per multos annos Iudæi nullos ve-
 ros prophetas habuissent, circa tempus nativita-
 tis donum prophetandi quibusdam datum, se-
 cundum vaticinium loelis: ubi in fontibus ha-
 betur fœmininum, ut probetur & fœmellas tem-
 pore N. T. fore prophetantes & Evangelisan-
 tes, Psal. 68, 12. Vnde & Philippus 4. habuit fi-
 lias prophetantes, Act. 21, 9. Sic & Maria & E-
 lisabetha futura predicunt: Ideoque non propter
 ea quia uxor prophetae vel soror, prophetria
 nominatur, sed quia ipsa talis fuit. Prophetave-
 rat virgo, prophetavit copulata conjugio, inquit
 Ambrosius in Luc. 1, 2. debuit & vidua, ne
 qua

qua aut professio deesset aut sexus. Interim publicum ministerium ipsis non conceditur ordinariè, licet extraordinariè, si vel adsint dona heroica, vel necessitas stricta, quia & Zipora circumcidit, Exod. 4, 1. & Samaritana vaticinatur de Christo, Ioh. 4, 29. & femina predicavit de resurrectione, Matth. 28, 1.

16. Tum origine, vel proxima, Filia Phanuel. Ita autem solet scriptura prophetas depingere, ut exacta fiat mentio stirpis. Sic de Ieremia, Ier. 1, 4. de Ezech, c. 1, 3. Et remota, ex tribu Aser, qui fuit filius Patriarcha Iacobi octavus, Gen. 30, 14. Atq; ita pertinuit ad veram Ecclesiam, cuius civem esse, laus est precipua. Ut discamus Deum humilia respicere, nec apud illum esse personarum respectum.

17. Et ex qualitate quoad aetatem, progressa in diebus multis Atq; ita gravis & honesta fuit matrona. Ut discamus aetatem & piis esse honorabilem, & Dei donum longevitatem, secundum promissionem, Exod. 20, Psal. 90.

18. Quoad viduitatem vivens cum viro aënos 7. à virginitate sua, ita & virginitatem laudat, & conjugii felicitatem, alias enim non allegaret Spiritus sanctus. Ut discamus, utrumq; statum Deo placere,

19. Et devotio ab effectis seu cultus præsta-

statio, v, 37. In quo status eum quoad modum, vidua: quae alias misere & ab omnibus contemptim habetur, interim ea laudabilis si talis qualis Hanna.

20. Quoad tempus, annorum 84. Quod tempus propriè de viduitate intelligendum fuit. Ergo annosa, si enim addantur conjugii 7. & forsas virginitalis 19. anni, erit curriculum vitae 110 annorum, quae aetas uti rara, ita & merito veneranda.

21. Effectus consistens in mansione, non discedebat à templo: non quidè quod semper ibi fuerit, uti Lyra monet, sed quia frequenter, uti David erat, qui voluit domum Domini inhabitare omnibus diebus vitae suae, Psal. 27, 4. Et uti Paulus vult sine intermissione orari, 1. Thes. 5, 17. Omnino non recessit verò quae Deo vacavit, & quae templum est de loco non movetur, uti habet Bernhardus in sententiis. Non quod in templo habuerit domicilium, quia alias non diceret supervenisse in templum vers. An verò Levitis ministraverit, pro ut constitutum, Exod. 38. 8. in textu non exprimitur. Pietas eius commendatur respectu aliarum, quae curis suis domesticis adstricta sacris non semper intersunt.

22. Et res ipsa, ubi iterum modus, quod
far

factū partim jejuniis, ut mundū ac immaculatum custodiret templum corporis sui. jejunium enim est orationis adiutorium, inquit Chrysof. hom. 15. operis imperfecti c. 16. in Matt. quod alias commendatur & Deo placet, Es. 1. 16. Matth. 16, 6. Partim obsecrationibus hoc enim agendum in templo, uti habet Luc, 18, 1. unde & domus precatōnis appellatur, Luc., 46. Unde inquit Chrysof. l. 1. de orando Deum, cum videro quempiam non amantem orandi studium, nec hujus rei fervida vehementius cura teneri, continuo mihi palam est, eum nihil egregia dotis in animo possidere: rursus ubi quem conspexero insatiabiliter adherentem cultui divino, idq; in summis damnis numerantem si non continenter oraverit, coniecto talem omnis virtutis firmum esse servatorem, ac Dei templum.

23. Tempus, serviens die ac nocte, sicut beatum illum predicat Psaltes Psal. 1. 2. Pl. 42, 9. Et sanè Dei grata & iucunda est servitus, quā homo veraciter efficitur liber & sanctus, inquit Kempis l. 3. de imitatione Christi c. 10. n. 4. Moraliter ista est exemplar, non solum Iudæis, sed & mulieribus aliis, primo quantum ad castitatem, quantum ad devotionem, quantum ad loquendi modestiam habet Lyra.

24. Τὴν δόξολογίαν seu vaticinatio v. 38. In quo causa impulsiva desumpta ab adjuncto tempore, & hæc eadem hora superveniens: non à casu vel humana dispositione, sed Spiritus sancti revelatione, sicut dictum est de Simeone secundum Lyram: & ne res ex composito gesta videretur, ἐπιπέσεια supervenisse ex improvise intelligitur, uti usurpatur Luc. 20. 1. Act. 4, 1. I. Thess. 5 3. Et concentu, vicissim cōfitebatur domino: Distributis enim & quasi alternis choris Simeon & Hanna confessi sunt, Simeon præcentor, Hanna succentrix, quemadmodum Levita & sacerdotes soliti Esd. 3. 10. simulq; consensus innuitur secundum Phil. 2, 2.

25. Et forma in genere, & loquebatur. Non ergo privatim sed publicè confessa est, ut discamus in negotio religionis non tacendum, sed loquendum esse. In specie quoad objectū de illo, id est de Christo, ipse enim debet esse autor nostri sermonis, inquit August. Serm. 171. de tempore, qui est autor nostre salutis & omnibus expectantibus redemptionem in Hierusalem, quorum multi erant, non quidem omnes in templo, sed ad quos venit æquè enarravit. Estq; descriptio piorum Hierosolymis viventium, & adventum Messie expectantium sumpta ab accidente desiderio

26. Et subiecto respectu Christi ab effectu descripta, ubi notanda est eius cum parentibus remigratio, v. 39. In quo temporis circumstantia, & ut perfecerant omnia secundum legem Domini. Nempe post historiam purificationis ista facta sunt: nam secundum legem usque ad 40. diem puerpera se domi continere cogebatur. Legem ergo observant quia secundum legem agendum est. Et perfecerunt, non tantum inchoarunt: alias enim cepisse multorum est, secundum Gregorium perfecisse paucissimorum.

27. Et loci, generalis reversi in Galilæam. Non quidem statim post purificationem, sed post fugam in Ægyptum, omisit enim inter media Lucas quæ Matth. consignavit, properat enim ad descriptionem infantie Christi & propterea omittit Magorum adventum, & Christi fugam in Ægyptum, quia hæc à Matthæo satis luculenter consignata. Et specialis in civitatem Nazareth: quæ in Galilæa sita, & urbs Iosephi & Mariæ dicitur, quia ibi habitabant.

28. Et Christi educatio, v. 40. in quo subiectum puer nempe Iesus, quod nomen ætatis nostræ est, non enim confortari virtus poterat ei, nec crescere Deus, habet Ambrosius, de incarn. c. 7. Prædicatum

tum

eum specialiter respicit aetatem, quoad corpus crescebat. *Aetas enim non divinitatis sed corporis est. Atque sic verbum crescendi de nutritione & augmentatione in pueris dicitur Gen. 21. 1. Iud. 13, 25. Lactatus enim est uberibus matris Luc. 11, 21 Post butyrum & mel comedit Es. 23, 45.*

29. Quoad animam respectu incrementi & corroborabatur spiritu. *Et si proficiebat aetate hominis, proficiebat etiam sapientia hominis, habet Ambrosius Ideo aetatem promisit, ut secundum hominem crederes auctum. Etsi enim in hoc puero divinitas carnis infirmitatis ratio erat, tamen in ipsa fuerit spiritus efficacia credendum est, qua se magis magisque exserere cepit: atque hoc crescebat in carne, quod se monstrabat in sapientia crescere. Voluit autem nobis exemplum dare, ut spiritualiter cresceremus, inquit Bonaventura serm. 23.*

30. Respectu complementi, tum plenus fuerit sapientia. quippe in eo sunt absconditi thesauri sapientiae. Col. 2, 3 *V. t. intelligatur habitualis potissimum, dum non crevit personalis, tamen plenus fuit & gratia DEI in illo. Id quod non solum de humana gratia, qua hominibus gratis & acceptus, intelligen-*
dum

dum, sed etiam de divina, qua singulariter Deo acceptus fuit, & qua in ipso fuit sine mensura Ioh. 3. 34. ut discamus Christum verum Deum & verum hominem esse.

NOTÆ.

I.

Erant admirantes) considera miratos fuisse parētes quia admiranda audiebant de puero : ut discas alias divina mirari.

II.

Ecce hic positus in ruinam) considera Simeonem inter summa gaudia vaticinari de afflictionibus : ut discas & in hoc mundo non esse pura gaudia, sed multis tribulationibus mixta.

III.

Puer crescebat) considera Jesum crescere, uti corpore, ita mente; ut discas etiam in virtutibus proficere.

CASUS CONSCIENTIÆ.

An secundæ nuptiæ licitæ?

Non videtur, quia Hanna laudatur quod vidua manserit, & Juditha itidem

dem, uti testatur Corrasius l. 3. c. 1. n. 3.
Miscel. Propterea & leges injuriam liber-
rorum in muliere nuptias repetente gravi-
ter vindicant l. Foeminae C. de secund.
nupt. l. fin. ibi not. & Dd. C. de indict:
vidu toll. Auth. quoad locum C. si mu-
lier sec. nupt. Nec eas poenas revocat jus
Canonicum: quia de communi opinione
non revocat, Abbas Felin. Dec. in C.
Eccles. de Constitut. Garron. l. 1. C. de
secundis N. Covarru 2. de matr. c. 3. §
9. n. 6. §. 9. Et quod habet Novella, de
his qui nuptias iterunt Constit. 22 Nuptia
secunda sunt odiosa. Quin quod Justinia-
nus habet, Auth. de Nupt. Deum, memo-
riam defuncti, & animam liberorum
negligit, & eorum obliviscitur. Propterea
& idem à tutela liberorum abigit mulie-
rem, postq̄ in tutelam novi mariti secisset
auth. sacrum C. quando mulieres
Tut. Off. fung. Unde etiam in sacris di-
cuntur mulieres ab negasse fidem, quae ite-
rum nubunt & nolunt manere viduae. Sed si
sunt illicitae secunda nuptia aut quia repu-
gnant bonis moribus, aut speciali alicui

Chri-

Christi & Apostolorum ordini. Neutra vero de causa illicita censeri possunt. Dum omne conjugium honorabile & cubile impollutum, Heb. 13. 4. sanctificatur cum uxore). Cor. 7. 14. Paulus mulierem a viro solvi dicit, & recuperare libertatem nubendi si volet, Rom. 7. 2. 1. Cor. 7. 16. Imo jubet ut juniores viude nubant & sololem propagent, 1. Tim. 5. 3. Hinc ait Paulus: quae nubit eam non peccare, Aug. si ve quicumq; autor est libelli ad Petrum de fide c. 1. si cui primo contigerit, secundum vel tertium iniens nullum peccatum habet. Neq; enim omnes nuptiae reiterantur ex libidine & in continentia: Neq; Abraham Kethuram ex incontinentia, Gen. 25. neq; David Sunamitidem, quam nunquam cognovit, 3. Reg. 1. De quo Aug. de C. D. 16. c. 34. Absit, ut incontinentiam in Abrahamo suspicemur, praesertim in illa jam etate & in illa fidei sanctitate, Ad- dit etiam jam tum Deum tanti viri exemplo praefulcire ac praemunire voluisse jus ac potestatem secundarum nuptiarum adversus quosdam futuros hereticos, ejusmo-
di

di secundarum improbatore ac damnato-
res. Quid si Josephus ipse Mariam sibi dis-
spondisse credatur secundam conjugem?
habet Arniseus de jure connub. c. 5. l.
6. n. 10. Certè qui primum conjugium in-
stituit dixit: Non est bonum homini esse
solum sine adiutorio; An verò solitudo an-
te primas nuptias tantum mala est? Nec
tamen incontinentia vitium dehonestat
rei teratas nuptias, uti colligit Barrol. mu-
lier §. cum proponeretur ad Trebell.
per Trebat. c. Ni secund. dist. 31. Hipp.
de Mars. in l. un. n. 188. ff. de raptu Virg.
per leg. Castitatis ff. de adult. & l. fin.
ff. de legit. tutor. LL. autem supra alle-
gata tantum secundum quid intelligenda,
quatenus sine scandalo fieri potest.

An mulieribus licitum sit publice
profiteri?

Negativam urgent multi, quum secun-
dum Paulum jubeatur mulier tacere
in Ecclesia 1. Cor. 14. 33. Et in silentio di-
scere, 1. Tim. 2. 1. Quin & jura non admit-
tunt ad officia feminas, uti habetur l. 2.
ff. de Reg. J. quod & in l. cum prator §.

pe-

penult. ff. de jud. & l. 1. §. 1. ff. ad Sc.
 Vellejanum ipsis denegatur. Interim &
 in V. & in N. T. reperta sunt prophetria, u-
 ti fuit Hulda, Debora, Juditha. Quem
 admodum etiam hoc in Evangelio de Han-
 na legitur. Sic etiam in jure officia sustine-
 re possunt, si consuetudine receptum sit, uti
 habetur in c. 4. de arbitris. Et Abbatisa
 quoq; jurisdictionem habet arbitriam, in
 c. indemnitatibus 43. de Elect. in 6. Se-
 cundo si speciali privilegio meruit, ut De-
 bora, Jud. 4, electa à Deo ad munus judi-
 candi. Sic etiam mulieres pro parentibus
 agere possunt si alium non habeant, in l.
 foeminas 41. ff. de procuratoribus. Eri-
 am mulieres officium sustinere possunt, si
 quod melius per eas peragatur, aut si Prin-
 ceptis scienter ipsis delegaverit causa. Glos-
 sa c. 1. 1. quest. 3 Arg. l. quid. 57. ff. se re-
 judicata. Addatur Alexander conf. 24.
 l. 5. Cornæus conf. 16. vol 1. Addatur
 Sturcius ad l. 2. De Reg. Juris.

F I N I S.



Electrum prodest & obest lapis, omnia vera
Si sunt, quæ planus Plinius autor habet
Christus idem præstat, Mirantur & inde pa-
rentes,

Dum Simeon multis vaticinatus ait:
Ut lapis electus multorum certa ruina:
Sic multo per eum, qui quoque surgat, erit.
Nam tecum, per te qui surgit, *Iesule*, surgit.
Ast ex se sine te qui cadit, ille cadit.
Te quoniam spernunt, dum signa beata sa-
lutis

Contradicendo nulla videre volunt.
Hinc animam matris transibit *Sica*, pateret
Cordis in occulto quæ latuere diu.
Hanc prophetis erat *Phanuelis* filia præsens
Vna, quæ coluit nocte dieque Deum;
Illa DEI laudes gratesque canebat eadem
Hora, de puero facta canebat anus.
Omnibus at factis repetunt *Galilæidos* oras
Et *Nasarethæas*, triga beata, domos. (tim:
Pansophiesque puer crescebat, corpore jux-
Ac erat huic hominum gratia, sicque Dei.
Talia divitis promit *BERNSTEINIUS* istis:
Pergat! & electrum nobile proflus erit.
GUEINZIUS.

In Mensch kan niemahls sich zu steigen
unterfangen

Ohn arbeit/müh und Angst: den weis
man wil erlangen

Der tugend höchsten fleiß/so mus man haß
und neid

Erdulden/welcher nur stets mit der Tugend
streit.

So must Alcides auch durch müh zu Göttern
kommen:

Ward nach zwölff thaten erst zu ihnen auff-
genommen

Auff dieses werther Freund gibst du nicht
minder acht

Wann du durch müh und fleiß/ wie Hanna
Tag und Nacht

In aller Gottesfurcht in Tempel dich geübet
der schulen: Fahre fort biß dir die Tugend
glaubet

den wol verdienten lohn: fahr fort bemüß
dich viel

So wird der tugend preiß bald kommen an
das ziel.

Wolmeinend sagte hinzu

S. N. L. L. S.



02 A 572
(1/2)

ULB Halle 3
003 808 483



VΦ 17

EVANG.

CHRIST.

HALLS

Q2 C



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

Farbkarte #13

B.I.G.



ARUM
ICARVM
io Sexta
DE
GUEINZIO
Salani
nte
RN STEINIO
allense
ativitatem
l.
to. CIVL.
ONUM
elchioris Oel-